

M. TULII CICERONIS

CATO MAJOR, SEU DE SENECTUTE,
AD T. POMPONIUM ATTICUM.

Cap. I. O Tite, si quid ego adjuvero, curamque levasso,
Quae nunc te coquit, et versat in pectore fixa;
Ecquid erit pretii?

Licet enim mihi versibus iisdem affari te, Attice, quibus
affatur Flamininum

Ille vir, haud magna cum re, sed plenus fidei.
Quamquam certo scio, non, ut Flamininum,
Sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque.

Novi enim moderationem animi tui, et aequitatem: teque
non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem,
et prudentiam intelligo. Et tamen suspicor, iisdem rebus te,
quibus me ipsum, interdum gravius commoveri: quarum con-
solatio et major est, et in aliud tempus differenda. Nunc
autem mihi visum est de *senectute* aliquid ad te conscribere.
Hoc enim onere, quod mihi tecum commune est, aut jam
urgentis, aut certe adventantis senectutis, et te, et me ipsum
levari volo: etsi te quidem id modice ac sapienter (sicut
omnia), et ferre, et laturum esse certo scio. Sed mihi, cum
de senectute aliquid vellem scribere, tu occurebas dignus
eo munere, quo uterque nostrum communiter uteretur. Mihi
quidem ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modo
omnes abstenserit senectutis molestias, sed efficerit mollem
etiam et jucundam senectutem. Numquam igitur satis laudari
digne poterit philosophia: cui qui pareat, omne tempus aetatis
sine molestia possit degere. Sed de ceteris et diximus multa,